

Bl. 12.



Post Examen Solenne

30

De

MORTVORVM
RESVRRECTIONE

Oratorie philosophabuntur

XIX. April. ab VIII. Hora,

Simulque Scholæ Episcopali dicent

VALERE

Quatuor eiusdem Alumni.

Ad audiendum

Patres & Ciues Eruditos nostros singu-
los observanter & officiose

invitat

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
RECTOR.

C I Z Æ,

Imprimebat Fridem. Heststädt/Ducal. Sax. Numb.
Typographus.

ll.



Quod eloquentiæ princeps & Græcæ Philosophiæ æmulator Tullius lib. III. de Oratore Cap. XVI. & XVII. de Socratica Philosophia dicit, inde discidium omne quasi exstitisse Philosophorum, & profeminatas fuisse dissentientes familias, Platonis, Aristotelis, Xenocratis, Cynicorum, Stoicorum, Cyrenaicorum, qui omnes se Socraticos & dici voluerint, & esse arbitrati sint: idem videtur accidisse Judæorum Scholæ, quæ simplex olim & *ἑοδιδακτὴ* fuit, postea ingeniorum fiducia, vel audacia potius, in varias sectas dimanavit, non opinionibus tantummodo, sed odiis etiam acerrimis dissentientes & mutuo inter se depugnantes. Temporis rationem habituri non aliunde fidem faciemus sententiæ nostræ, quam ex mysterio de *Mortuorum Resurrectione*, neque hunc campum omnem percurremus (quis enim enarrabit omnes Sadducæorum & Baythosæorum veteres errores?) sed sequentium solum Judæorum, qui inde a duodecimo Christiano seculo aliquod nomen adepti sunt, opiniones quasdam, qua fieri poterit breuitate, commitemus. Præcipua quæstio adhuc agitur inter Judæos de *numero resurgentium*, quem alii ad solos iustos exclusis impiis, tam Judæis quam Gentilibus; alii non solum ad Israelitas plerosque, sed ad omnes nationes, non autem ad singulos in iis homines, extendunt, vt Antonius Hulsius, Bredani Collegii nuper Professor, & Ecclesiæ ibidem Gallo-Belgiæ Pastor non incelebris, Theol. Jud. p. 173. vere scripserit, *in eo Judæos omnes duntaxat consentire, resurrectionem non fore generalem omnium omnino hominum*. Causa discordiæ est dissensus de Messia Judaici adventu, quem alii propius cum mortuorum resurrectione coniungunt, alii longius

us ab eadem removent: vnde quidam vnā; alii duplicem,
 resurrectionem credunt, *particularem* Messiae aduentui anne-
 xam; & longo post tempore *generalem*, quem ad diem iudicii
 reiiciunt. Ab illis, qui solos iustos ad resurgendum admittunt,
 initium facimus. R. David Kimchi in Perusch ad Psalmum
 I. 5. de hac re ita tradidit: על כן לא יקום , על כן שהעם
 הולכים בדרך רע בעולם הזה לא יקום בשפט , הוזה לומר , ביום
 : hoc est :
 PROPTEREA NON יקום , ideo quod impii ambulantes in
 via mala in hoc mundo , non surgent in iudicio , quasi diceret , in
 die iudicii , & hic dies est mortis , vnde ipsis non erit resurrectio.
 Sixtinus Amama , Franekeranæ Professor laudatissimus , in An-
 tibarbari Biblici lib. III. extremo , defensionem Iudæi suscipit ,
 & absurdam sententiam deprecaturus , negat תקום hoc loco
 per resurrectionem vertendam esse , quam תהיה Ebræi di-
 cant ; sed Davidis יקום accipit in significatione *subsistendi* , vt
 opponatur תִּפֹּס *cadere causa*. Speciosa sane explicatio , si aliis
 Kimchii interpretationibus conciliari posset. Etenim idem Ju-
 dæus ad Psalmum XLIX. 13. clare scripsit , כמו הנלמות שכתרו
 במוקן , החדם רע ככרת במוקן שלם תהיה נשקו שלם תהיה
 quemadmodum bestia exstinguuntur in morte sua , sic homo impro-
 bus exscinditur in morte sua , vt non remaneat anima eius , sed per-
 eat. Quid? quod superioribus verbis ad Psalmum I. subiecit,
 תהיה ביום נפס עם נפסם שלם תהיה sed peribit anima
 illorum (impiorum) cum corpore illorum in die mortis. Quibus
 gemella habet in Commentario ad Psalmum LV. extrem. &
 CXV. 17. Vnde doctissimus vir , Johannes Hornbeck , Professor
 Leydentis , de Convinc. Jud. p. 576. in hac re discessit ab Am-
 ama , quod , licet תקום utcumque possit alio sensu accipi ,
 tamen minus dubitandum sit de Kimchii mente , quia
 eodem loco aperte dixerit , perituras esse impiorum animas ,
 deinde vna cum corporibus perituras , denique in die mortis
 perituras , quæ haud facile in aliam sententiam , quam quæ
 dicta , trahi possint . Nec aliter Kimchianum sensum inter-
 pretatus est R. Menasse Ben Israel lib. II. de Resurr. Mort. cap.



VIII. *Varie, inquit, sunt Rabbinorum opinioniones: R. Saadias Gaon, & Moses Gerundensis, & R. David Kimchi ad Psalmum I. existimant resurrectionem mortuorum ad solos iustos pertinere. Ad causam hanc cumprimis pertinent, quæ idem Kimchi ad Esaiaë XXVI. 19. commentatus est: ותחי הַכּוּלִים אִין יָתִין וְחַיֵּי הַבְּרִיִּים הוּא כְּנֶגְדֵי הָאֵל, רֹחֵם לִמּוֹר הַבְּרִיקִים זְהֵם לְאֵל, כִּי שְׂאֵרֵי הַבְּרוּתִינוּ זְכָרֵם לְבִרְכָה כִּי תַחֲיֵית הַמַּתִּים לְבְרִיקִים וְלֹא לַרְשָׁעִים, וְכֵן כִּרְאָה בּוֹה הַפָּסוֹק שְׂאֵר יַחֲיֵי, וְכֵן בְּנֹחֶת הוּא דְנִיאֵל הוּא שְׂאֵר הַדְּבָרִים, Et dixit propheta: Tunc vivent mortui T VI, ut Suffixum respiciat Deum, quasi diceret, iusti, qui Dei sunt, quemadmodum Rabbinus nostri felicis memoriae, dixerunt, quod vivificatio mortuorum ad iustos pertineat, non ad improbos. Idcirco videmus in hoc commate dictum, mortui T VI. Sic etiam in prophetia Danielis (XII. 3.) MULTI (non Omnes) scriptum est. Hinc argumenta colligimus, quibus adducti Iudæi nolunt resurrectionem uniuersalem concedere. Quod enim dicantur mortui T VI, seu mortui Dei, putant, ad iustos, seu Dei populum pertinere. Quamvis autem non omnes interpretes Esaiaë verba proprie & secundum litteram intelligant, ut vel solæ Theodori Hackspani, CL. viri, probant Annotationes: tamen, quod ipse Kimchi improprium sensum fugit, & de vere mortuis, in vitam revocandis, Prophetæ mentem declarat; nos minime repugnantibus habet de propria Prophetæ sententia. In eo dissentimus, quod Kimchi cum tribulibus existimat, dum iusti dicantur resurgere, exinde elici posse, falsam esse impiorum resurrectionem. Illud verò cum asseueravit Esaias, hoc minime negatum iuit, utpote quod extremâ prophetia clarissimis verbis stabiliuit, ad quem locum ipse Kimchi suorum dissensum his verbis confessus est: וְיָם מַפְרָשִׁים זְהֵם יְהִיֶּה אַחֲרֵי תַחֲיֵית הַמַּתִּים וְיָקִיֵּנוּ גַם כֵּן הַרְשָׁעִים וְיָקִיֵּנוּ אַחֲרֵי שִׁקְיָנוּ לְדַרְאָן עוֹלָם כִּי מוֹ שָׂכָרוֹ בְּדִנְיָאֵל: Quidam verba (Esa. LXVI. vlt.) ita explicant, quasi hoc futurum sit post vivificationem mortuorum, atque ita euigilabunt etiam impii, & erunt, postquam euigilarunt, opprobrio eterno, sicut scriptum est in Daniele. Everso primo substructionis Iudaicæ fundamento*

damento, alterum quoque ex Danielis **רבים** *Multi*, ad-
vectum, vt destruamus, muneris nostri erit. Non morabitur
nos Rabbi Ieschua, qui apud AbenEfram in Dan. XIII. 3. **ישני**
דורמיות Danielis **DOR-**
MIENTES IN PVLVERE *Metaphorice de exulibus Iudeis, quod mor-*
tuis similes sint, interpretatus est, quemadmodum etiam Por-
phyrius apud Hieronymum in hunc locum Tom. IV. f. 526. de
vexatione Iudæorum sub Antiocho, & liberatione ex illa, Da-
nielem perverse exposuit, quem Hugo Grotius in h. l. f. 473.
laudat magnopere & in cœlum extollit, quasi nihil (hoc Groti-
us iudicat) *dici potuisset verius*, quam hoc Porphyrii testimoni-
um. His, inquam, non immorabimur, quia erudita Hierony-
mi responsio, qua Porphyrii audaciam repressit, nobis, & for-
san omnibus cordatis, sufficere potest. Quærit sanctus Pater
ex impudenti adversario, *quinam fuerint sub Antiocho fulgentes*
quasi splendor firmamenti, & alii quasi stella in perpetuas æternita-
tes? Nec enim optima circa Antiochi tempora, aut post illa,
fuit Iudæorum conditio, sed libertas ipsorum cum Republica
indies cepit graviora detrimenta. His itaque dimissis, Iudæos
illos aggredimur, qui per Danielis *Multos*, non *omnes*, sed
paucos, aliquos (quæ vox Saadiæ Gaonis est) intelligi
contendunt. AbenEfra ita, **אמר הנאון כי פירושו אלה שיקחו**
יקחו להם עולם ואלה שלא יקחו יהיו לתרבות ולדראון עולם כמו והיו
דראון, והאלה אמת ופירושה תרפה והנאון אמר כי רבים הם הנעטים
כמו ורבים מניאים מנקה ורבים מעמי הארץ *Dicit Gaon, sensum esse,*
illos, qui expergiscuntur, ad vitam æternam destinatos esse: illos
qui non expergiscuntur, ad æternum opprobrium & contemptum,
sicut Esaie LXVI. 24. exstat, & erunt contemptui omni carni. Vox
contemptus, exponitur per קפה opprobrium. Dicitque Gaon,
per Multos hic intelligendos esse paucos, sicut II. Paralip. XXXII.
23. multi afferentes munus &c. item Esther VII. 17. multi ex po-
pulis terræ fiebant Iudæi &c. Grata hæc philologia Reformatis
est, ex quibus, vt unum arcesisse sufficiat, Daniele Chamier,
Panstratiæ Catholicæ auctorem celeberrimum notamus, qui Tom.
III. lib. IX. cap. X. in eo curam & studium suum collocat, ne un-
quam vox *Multi* æquiparari debeat *Omnibus*. Nos vero aliter
cum

cum Philosophorum scholis censemus, quibus *Multi* neque univ-
ersum, neque diminutum numerum aut paucitatem simpliciter
significat, sed magnam copiam designat, sive illa omnia com-
prehendantur, sive maior tantummodo portio. Dividit pro-
pheta *multos* illos evigilatuos in bonos, qui vitæ hereditatem
adibunt; & malos, quos opprobrium & ignominia obruet, ut
dubitare non liceat, quin *omnes* mortuos, seu in terra dormi-
entes, intellexerit. Non autem adduci possumus, ut Iunii, &
Polani sententiam tristi litera damnemus aut illudamus, qua
רבים Danielis ad distributionem, mox Propheticis verbis de-
scribendam, hoc modo referunt: Dormientes resurgent, multi
ex iis ad vitam æternam, multi ad opprobrium. Fortiter qui-
dem negamus, quod Chamier contendebat, *multos* nusquam
omnibus æquari posse, certissime persuasi, *universitati* æque, quam
parti significandæ hanc vocem idoneam esse: tamen, quod
non simpliciter *multos* Propheta appellat, sed Præpositione מ
iuncta, *multi*, inquit, מִישְׁנֵי EX dormientibus in terra pulveris;
existimamus non contemnendam esse vim hujus Præpositionis,
cuius indoles est, ex pluribus quædam excipere, non omnia
coacervare. Vnde Abarbenel in libro מֵעַי יוֹעֵב de hoc ipso
dicto non inepte מִ קִטְיָת Mem, inquit, *particularitatis no-*
ta est. Polanus insuper vrget Accentum Sakeph gadol, verbo
רבים impositum, quasi is divulsionem a sequentibus, מִישְׁנֵי ex
dormientibus &c. cogat, in quo dissentimus, licet רבים ad אלה &
אלה reducitur posse non negemus. Neque vero Judæis nostris,
ad quos ex secessu quasi redimus, quicquam hoc ipso indulsi-
mus, ut potius ex hoc ipso loco expugnari illos posse confida-
mus. Æque Daniel, atque Esaias, uterque extremo libro, de
Resurrectione, fatentibus Judæorum plurimis, differunt. Uter-
que improbos ad ignominiam & supplicium evigilatuos tradit.
De quibusdam impiis concedunt Judæi recentiores, Abarbenel,
Menasse Ben-Israel &c. de *omnibus* negant. At quæ ratio ne-
gationis est? nullam afferre possunt, quam quas Kimchi supra
attulerat debiles, infirmas, & modo profligatas. Menasse, ut-
pote

pote latine non indoctus, p. 186. *Nota, inquit, quod dicat (Da-*
niel) MULTOS non autem OMNES. Interea tamen inter mul-
tos illos erunt cuiusvis sortis ac conditionis homines, probi, improbi
& intermedii. At vero aut nulli impii resurgent (quod negat
 Menasse cum Abarbenele suo, oraculorum radiis constrictus)
 aut omnes resurgent. Quod nisi concesserint Judæi, afferant
 oportet disparitatis argumentum. Certe divina iustitia postu-
 lat, ut impii in vitam redeant, quo impietatis pœnas æternas
 solvant. Quid vero iustius est aut voluntati divinæ magis con-
 sentaneum, quam totidem pœnam subire æternæ iustitiæ respon-
 dentem, quot violatores divini iuris fuerunt, nec ad meliorem
 mentem, antequam vita migrarent, regressi sunt? Missa nunc
 facimus Judæorum deliria, & purioris Ecclesiæ & antiquioris dul-
 cem de Resurrectione meditationem adicimus. Neque apud
 solos Christianos antiquos, sed etiam apud ipsos Judæos vete-
 res hanc suavitatem invenire licet, quo imprimis pertinet dul-
 cissimum nomen, quo non solum Jonathan, Chaldæus paraphra-
 stes nata Orbis Salute antiquior, Hoseæ VI. 2. sed etiam alter Jo-
 nathan, qui Pentateuchum (nescitur, quo tempore) transtulit,
 Gen. I. 21. tempus Resurrectionis appellarunt יוֹם נְחֻמָּה *diem*
consolationis, quam piam loquendi consuetudinem Ecclesia Sy-
 rorum primæva æmulata est. Quanquam enim Syris non de-
 erat, quo nomine ἀνάστασις seu mortuorum resurrectionem si-
 gnificarent, dum vel simpliciter אֲחַיִּים Matth. XXII. 28. vel
 אֲחַיִּים מֵהַמְּתוּתִים resurrectionem a mortuis Act. XXIV. 15.
 aut אֲחַיִּים מֵהַמְּתוּתִים resurrectionem mortuorum, ibidem com-
 mate 17. vocarunt: tamen Ioh. XI. 24. 25. Marthæ Bethaniensis
 cum Jesu colloquium, posthabita Græci vocabuli notione, dul-
 cissime ita expresserunt: Martha dixit Christo, אֲנִי יוֹדֵעֶת
 אֲנִי יוֹדֵעֶת אֲנִי יוֹדֵעֶת Scio, quod resurrecturus sit IN CONSOLATIONE
 in die extremo. Respondit ei Jesus: אֲנִי אֶהְיֶה אֲנִי אֶהְיֶה
 Ego sum CONSOLATIO & vita. Quid suavius & iucundius dici
 potuis-

potuisset, quam *ἀνάστασις*, resurrectionem esse consolationem, quæ omnium amissorum restitutionem polliceatur? Vnde altero post Syrum interpretem seculo eodem ferme modo Tertullianus priscae Ecclesiae mentem sub principium libri de Resurr. Carn. his verbis solatii plenissimis declarauit: *Fiducia Christianorum Resurrectio mortuorum*. Hæc fiducia, hoc solatium me quoque permouit, vt, cum Paschalibus feriis quidam missionem militiæ scholasticæ peterent, quæ maiorum more sine declamationis specimine fieri non potest; illis de *Resurrectione* perorandum esse mecum constituerem. Cum vero Philosophiæ sit ratio in scholis habenda, ad Philosophorum placita attemperavi quæstionem, vt, postquam antesignanus

CHRISTIANVS MEZZER/Cizensis,
proposuisset commilitonibus Christianis dignam disputationem, simulque Patronis & *Examinis Scholastici* Visitatoribus debitas gratias egisset; alter

CHRISTIANVS EXJESZER/
Gnandsteinio Misn.

Anime immortalitatem, quibus posset, argumentis vindicaret: cuius sermoni

ABRAHAMVS AVENARIVS,
Zipsendorfio-Cizensis,

superadderet difficilem quæstionem, *an mortuorum resurrectio*, atque ita etiam corporis restitutio *ex natura lumine* probari possit. Memores quoque, nullam Philosophiæ sectam latius olim manasse, quam Pythagoræorum, in horum famosam *Metempsychosin* vt stilum stringeret

JO. CHRISTOPHORVS HÄPPNER/Numburgensis,
cura nobis postrema fuit, sed ab officii & propositi ratione neutiquam aliena. Hos vt die crastini Patroni & Fautores nostri, & quibuscunque commodum est honestæ dissertationi vacare, benevole audiant, de Resurrectione oraturos, simulque *Vale*, vt moris est, Scholæ & Evergetis dicturos; etiam atque etiam obseruantissime & perhumaniter rogo atque contendo. PP. Cizæ XIV. Cal. Maias clj lxxxi.


Nr 3165


80

1007

1007







Farbkarte #13

B.I.G.



30

nen Solenne

De

VORVM ECTIONE

losophabuntur

ab VIII. Hora,

Episcopali dicent

ERE

dem Alumni.

diendum

ditos nostros singu-
ter & officiose

vitat

ORVS CELLARIVS, CTOR.

Z Æ,
etstädt/Ducal. Sax. Numb.
graphus,

ll.

